



tem <sup>66)</sup> non habeat <sup>67)</sup>. Ergo locus certe relinquitur alii *υποθεσει*, veluti biblicæ, de qua hoc loco uberius exponere nihil attinet. Illud liceat admonere, ut cogitent lectores, *υποθεσει Kantii* ad usum, quem habere dicitur <sup>68)</sup>, negativum non meliorem esse biblica, quæ talem profecto satisfactionis modum tradit, ut veniæ peccati & salutis spem in eo re vera sibi ponere nemo possit, quin hoc ipso necessitatem emendationis animi & obedientiæ agnoverit & sanctitatis legis reverentior evaserit <sup>69)</sup>. Neque Jesus *nostra vice* obedivit & paruit voluntati Dei, neque ejus obedientia *nostræ* vel absentiam explet vel pretium ac vim auget <sup>70)</sup>, sed Jesus *sua* obedientia hoc *sibi* obtinuit præmii loco <sup>71)</sup>, ut felicitatis genere, quo per nos ipsi, *quamvis emendati*, non sumus digni, quoque nec *digna censetur* <sup>72)</sup> imperfecta obedientia nostra, *ipsius*

66) *Theoretica utilitas*, quam l. c. p. 95. f. *Kantius* laudat, *υποθεσεως* probandæ necessitatem propterea non imponit, quod fieri facile potest, ut ratio, quæ alia multa explicare nequit (l. c. p. 270. cf. supra not. 13), nec docere possit, quo modo reorum absolutio consentiat cum justitia divina.

67) v. *Kantium* l. l. p. 246. f. 95. f. 163.

68) l. l. p. 96.

69) *Doctr. christ. pars theor.* §. 92.

70) cf. ill. *Kantium* l. c. p. 166. f. 96.

71) *Comm. in ep. ad Hebr.* p. 667. fs.

72) Quum probi dicimur *censeri*, non dicimur nisi *tropice*, h. e. in eam sententiam, ut *trahemur* tanquam probi talique felicitate digni, quamvis Deus probe videat, nos ea dignos non esse (v. *Comp. dogm.* §. 117. d. e). Quia suum cujusque pretium ipsum non adventitio pondere additoque alieno momento, sed veritate  
ju-